



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 50. Ejusdem Myst. punct. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

ejus debellare omnes: Matthæus Drachmann
 Evangelicæ paupertatis invenit, & ad finem us-
 que conservavit. REFL. Videamus nos quoque,
 an opera nostra respondeant vocationi nostræ,
 & nomini Socii JESU.

VOL. Imitemur Apostolos illos; cogitemus
 quod etiam à Deo simus vocati, *in Societatem fi-
 lii ejus Jesu Christi, Domini nostri.* 1. Cor. 1. Dil-
 gamus eum, sequamur eum non *verbo, neque lin-
 guâ: sed opere, & veritate.* 1. Joan. 3. ut cum
 Apostolis exaltemur ad gloriam Regis nostri.

COLLOQ. De duobus vexillis.
 RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO L.

De Apostolorum vocatione.

Myft. punct. 3.

CONG. Non variatur.

PRÆL. I. Quomodo Christus cœteros
 Apostolos vocaverit, ut se sequerentur.

PRÆL. II. Videre Regionem Galilææ, & loca,
 ubi vocati fuerunt.

PRÆL. III. Petere gratiam perfectè militandi
 sub vexillo Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculos converta-
 mus ad Apostolos universos; etiam ad illos,
 quorum vocatio non tam accuratè descripta est.

INTEL. Perpendamus quàm benè de illis dica-
 tur

tur illud 1. Cor. 1. *Videte enim vocationem vestram Fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi Nobilitates: Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* REFL. Dicamus hinc, *perspectâ, & damnatâ mundi pravitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipere ad abjectionem, & humilitatem vexilli Christi.*

VOL. Dicamus in spiritu humilitatis: *elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal. 83. & dum gloria Dei par esset, eligamus potius vilem Apostolorum, & à mundo derisum statum, quàm divitias, aut honores.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire quàm suaviter simul ac fortiter singuli sint vocati.

INTEL. Ratiocinemur, quamvis verba vocationis de singulis non legantur in Scripturâ, hoc tamen fuisse ejus argumentum: *Mea hæc est iustissima voluntas, totius mundi dominium mihi vindicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde, quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit.* Hic est sensus vocis illius: *sequere me.* REFL. Ratiocinemur nos non esse *sana mentis*, si cum Apostolis Christum avidissimè non sequamur.

VOL. Agamus gratias pro suavi simul ac fortivi vocatione, quâ nos vocavit ad Societatem suam
Chri-

Christus; & ut testemur reciprocum amorem statuamus nos in tertio gradu humilitatis.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus vocavit Discipulos suos; & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominavit) Luc. 6.

INTEL. Perpendamus dignitatem *Apostolatus*, quod *legationem* significat. Hinc dicit Apostolus 2. Cor. 5. *Pro Christo ergò legatione fungimur.* REFL. Concludamus hanc legationem conjunctam cum opprobriis, & paupertate, à nobis debere æstimari præ omnibus dignitatibus, quas mundani homines tantoperè ambiunt.

VOL. Nos igitur juxtà tertium humilitatis modum, optemus, & eligamus *pro nomine JESU contumeliam pati.* Act. 5. ut spretis vanis, & stultis dignitatibus humanis, possimus cum Apostolis, & cum Christo exaltari ad gloriam, & dignitatem immarcescibilem.

COLLOQ. Sicut post tres modos humilitatis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LI.

De primo Christi miraculo facto in Nuptiis. Joan. 2. Myst. punct. 1.

CONG. Simul atque evigilo delibare pridie paratam meditationem, ut supra dictum.

PRÆL. I. *Quomodo invitatus fuit Christus cum Discipulis suis ad Nuptias.*

PRÆL. II. *Conspicari locum convivii in Cana Galilææ.*

PRÆL.